

peris albi contusi et per cribrum tenuissimum transmissi X p. as, pyrethri contusi et per idem cribrum transmissi X p. I. haec in unum miscentur, reponuntur vaso fictili. facit praeterea ad lumborum et ad omnem dolorem corporis et praecipue nervorum. muliebria loca durissima mollit,
 5 cum diu aliis medicamentis nihil profectum est.

CLVII. Ad lumborum dolorem malagma quod proprie facit: picis liquidae sextarios duos, olei veteris sextarium unum, resinae terebinthinae sextarium unum, cerae pondo libram et trientem, mannae pondo bessem, aphronitri pondo trientem. coquitur pix cum oleo, donec spissa
 10 fiat, et postea adicitur ei resina, deinde cera et secundum hanc ex intervallo manna. ubi habet emplastri figuram medicamentum, tollitur ab igne et, cum tepere coeperit, aphronitrum aspergitur sensim, ne superfundatur, quod in caccabo est.

Ad podagram

CLVIII. Ad podagram cum fervore et tumore rubicundo, quam caldam vocant, bene facit primis diebus herba urceolaris, item caseus mollis recens per se; postea herbae salis pusillum admiscere oportebit. item facit apium viride per se vel cum poline, nec minus solanum, portulaca, plantago, spongea vel Rhodia vel Africana mollis ex aqua frigida, lana sucida
 20 ex rosa et vino. subinde autem haec omnia mutare oportet, priusquam excalefiant. prodest et omentum caprinum, item <farina> fabae molitae cum suis valvulis ex aceto cum melle diluta, consparsa et imposita: ducit enim sanguinem et dolorem levat. bene faciunt et mala citrea quam maxima quinque cocta ex aceti sextariis tribus, donec madida fiant; quibus
 25 tritis adicitur aluminis fissi pondo uncia, myrrhae pondo sextans. bene